

§. XII.

Arminiani dubitant de eiusdem corporis resuscitatione.

Dubitant Arminiani, utrum eodem homines aliquando corpore, an uero quoad substantiam diuerso, resuscitandi sint, Deum solummodo hanc litem in futuro seculo dirempturum, opinantes, vid. LIMBORCHII Theol. Christ. L. VI. c. II. §. 38. Rationem dubitationis suae in eo praecipue collocant, quia non satis constat, quid de corpore hominis sit habendum, an illud pars eius essentialis, an uero coniunctum saltem instrumentum animae sit. Sed nostrum assertum non nititur Philosophorum opinione illa, sed claro Dei uerbo. Iobus enim de sui eiusdem corporis resurrectionis certitudine conuictus exultat: *Scio, quod Redemptor meus uiuit etc. si anima uniretur cum alio corpore, non possem cum Iobo dicere, ex carne mea uidebo Deum.* Si animae nostrae reciperent alia corpora, ille, qui resuscitauit Christum ex mortuis, non uiuificaret mortua corpora nostra, propter inhabitantem suum Spiritum in nobis. Rom. VIII. u. II. Si corpora non uiuificantur, non datur resurrectio, corpus resurgit, non anima. Praeterea corpus, licet etiam eo ut organo utatur homo, propterea tamen non desinit esse eius essentialis pars. Deus enim ad totum hominis constituendum illud e gleba terrae produxit, nec sine corpore aliquis integer homo dici potest. Saluator etiam totam hominis substantiam assumendo, corpus humanum assumere, nisi illud ad hominis substantiam pertineret, non necesse habuisset. Quia autem illud assumpsit et assumendo redemit, illud ad hominis